



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 1. Nigidij rationes quædam quibus contendebat natura inesse in
vocibus vim significandi. vnde sumptæ sint, indicatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

M. ANTONII MURETI
I. C. AC CIVIS R.
VARIARVM LECTIIONVM
LIBER XIII.

Nigidij rationes quadam quibus contendebat natura inesse in vocibus vim significandi. vnde sumpta sint, indicatum.

CAPVT I.

EVI ptorsus & futili argumento vsus est P. Nigidius, vt doceret nomina & verba naturalm quandam significandi vim habere, non quæ eis hominum arbitratu, quasiq. conuentione quadã imposita esset. scripsit enim id perspici posse ex vocibus, *Ego, Tu, Mihi, Tibi, Nos & Vos*, itemq. ex græcis prouocabulis quæ eam valerent. Nam, *Ego, Nos, Mihi*, neq. profuso in-
gressoq. flatu vocis, neq. proiectis labiis pronuntiarî, sed & spiritu & labiis quasi intra nosmetipsos adductis atque compressis. At cum *Tu, Tibi, Vos*, dicimus, labias sensim primores emoueri, ac spiritum atq. animam porro versum & ad eos quibus cū loqueremur, reuerti. Dignum sanè argumentum, quod ex multis seligeretur à Gellio, eiq. præter cetera lepidum & festiuum videretur. Existimo autem illud, qualecumque est, è Chrysippi fontibus haustum ac deriuatum fuisse, qui cum superiorem animi partem, id est, τὸ ἦν ἰσχυρὸν, in corde, non in cerebro, esse contenderet: vel ex eo id colligi posse dicebat, quod cum dicimus,
Y 2 Ego,

Mureti
lectiones
III
25

Ego, natura ipsa duce, & ita quodammodo cogentem
 natura ipsius litteræ quæ eius vocis princeps est, motum
 deorsum ad pectus, et ad cor mouemus: ut quod motu
 nutu ostendamus eam partem qua præcipue sentitur
 id quod sumus: *Mens enim cuiusque*, ait Cicero, *in
 quisque*. Addebatur illud quoque, naturale esse, ut de
 his loquentes, nosque ipsos ostendere volentes, digi-
 tum indicem ad pectus referamus, non ad caput: quo
 quo effici, ut natura ipsa quodammodo docere vide-
 tur, præcipua partis, & eius quæ hominem constituit
 non in capite, sed in corde, sedem ac domicilium esse.
 Quoniam autem videbat Chrysippus, promptam et
 paratam esse *ἐνστασιον* aduersus illud prius argumen-
 tum ex voce *ἐκείνου*, cuius idem esset principium, quod
 τῆς ἐξουσίας: subiecerat pulchram sanè & ingeniosam resolu-
 tionem. neque enim tantum priorem syllabam
 vocis Ego ita conformatam esse, ut eam qui profert
 nutu se, id est pectus suum, ostenderet: verum & pos-
 teriorem, id est syllabam *go*, nihil habere, ut ipse
 quebatur, apostematicon, id est, quo quidquam extra
 nos positum indicaretur. At vocem *ἐκείνου* incipere
 quidem ab eadem syllaba, sed sequi statim syllabam
κεί: in qua inesset vis quadam significandi aliquid
 nobis seiunctum ac separatum. Hæc tam ingeniosè
 fatua vix à summis viris dicta crederemus, nisi
 Varrone didicissemus, nihil à quoquam agrote con-
 nari posse tam stultum, quod non aliquis Philoso-
 phorum seriò dixerit.

Virgilij locus è sexto Eneidos illustratus.

CAPVT II.

QVOD est, quod doctissimo poetarum Mar-
 ni, qui infantes mortui sunt, eos dies ipsa ab-
 strahit.